



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. De Lusitanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

nem, legantur. Pancirolus cap. 67. Notitiae Imperij Occidentalis,
& Mariana sub initium Historiarum.

§. 7. Lingua Hispanorum Antiquorum.

ANTIQUVM idioma Hispanicum credunt plurimi esse hodiernum Lapurdense, quod vulgo dicimus *le Basque*, de quo lib. sequenti cap. 5. §. 5. & huic opinioni doctissimi Hispanorum subscribunt.

CAPUT SECUNDUM.

De precipuis Hispaniae Populis, & Insulis.

PRÆSTANTISSIMA quæque ex historicis seligo, ex quibus lux affulgeat Geographia.

§. 1. *De Lusitanis.*

NOMEN habet à *Luso*, vel *Lysa*, Bacchi præfecto, vt fatentur omnes.

QUALITAS. *Aurifer* fuit, vt testatur Plinius, ait enim eam cum Gallæciâ & Asturiâ, vicena millia pondo auri quotannis pensatisse. Nihil de Tago commemoro, auri ad nostram usque ætatem fertili. Fuit quoque hæc regio feracissima, siquidem Athenæus lib. 8. ex Polybio notat suem 100. librarum hic tantum emi 5. dragmis, totidem vitulum, ouem duabus; Talentum ficuum 3. obolis, bouem iugo aptum 10. dragmis, syluestria animalia vulgo data. Hic quoque sal purpureus, qui tritus albescit.

MORES ex Strabone colliguntur lib. 3. Laconicâ utercentur viuendi ratione. Bis tantum vngebantur: lapillis cädentibus se calefiebant. Frugaliter uno cibo vicitabant, permutatione utercentur, pecunia loco. Ægros publicè exponebant Ægyptio more. Coriaceis nauigiis usi sunt usque ad Brutum. Prædari malebant, quæ terram colere, licet feracissimam. Lusitanicæ fortitudinis testis Viriathus, cui pares esse Romani non potuerunt, nisi fraude.